UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1844

LXXIII. Bischof Busso von Havelberg genehmigt die Errichtung eines Hospitales in der Lappstraße zu Neuruppin, im Jahre 1493.

urn:nbn:de:hbz:466:1-54407

Visual Library

Curts dode, dat Clawes Barſekow by ſynen levende uppe ghelecht hefft und geſtifftet in ſodane wiſe, dat dar ſchalen weſen twe commenden, de eyne ſchale hebben de ſtadtſchriver tor titt ys, unde ſchale baren vamme rade, de wile he imme dinſte is, IIII ſchock, de ander ſchale hebben de averſte koſter, de wile he im dinſte ys, unnd ſchale baren de anderen IIII ſchock uppe beſcheiden tiden, ſo dy radtmanne dy uthſetten werden. Upp dath ock gadesdinſt deſte bath maghe vormeret werden; ſo ſchalen de vorgenanten ſtadtſchriver und averſte Koſter na hern Curt Barſekowe dode to demſulven altare eyn islik III miſſen leſen effte leſen laten in der weke, de eyne in die ere der hilghen dryvaldicheit, de ander in die ere marien der Hemmel konighin, die drudde vor allen criſten ſelen unde nemeliken vor Clawes Barſekowen und Urſulen, ſyner eliken husfrowen, unnd vor alle, de uth orem Slechte vorſtorven ſinth. Weret ock dat de radtmanne de renthe wolden affloſen, alle edder de helffte; ſo ſo ſchalen ſe dat gelt wedder, alſe ſe alderwiſeſt maghe, unnd dar vor to kopende an renthen, alſe ſe meſt kanen, uppe der twier vorſcreven commenden behuff. Alſe wy denne alle deſſe vorſcrevene ſtucken unde artikulen mechafftich in der hant hebben; ſinth wy furder van den vorſcreven borgermeſtern und radtmannen flitigen gebeden, dat wy dy van unſes ſtandes werdicheit weghen willen alle unde eyn islick by ſick tolaten und beſtedigen efte confirmiren. Hirumme hebben wy angeſeen ore milde und innighe bede, uppe dat ock gadesdinſt bath mage vormeret werden, ſo annamen wy und beleven wy alle uppgnanten ſtucken unde artikuln van crafft und macht weghen unſer unſes geſtliken ſtandes werdicheit, und confirmiren effte beſtedigen die in demme namen gades, in crafft und macht deſſes unſes vorſegelden breves, de gegeven ys to Wiſtogk, uppe unſer borch, Anno domini 1492.

Nach Bratring mit Benutzung der Kampeſchen Varianten.

LXXIII. Biſchof Buſſo von Havelberg genehmigt die Errichtung eines Hoſpitales in der Lappſtraße zu Neuruppin, im Jahre 1493.

Buſſo, Dei Gratia Epiſcopus Eccleſiae Havelbergenſis etc. — Nuper etiam coram nobis nonnullis literis pro parte circumſpectorum virorum, proconſulum et conſulum opidi Novae Ruppin noſtrae diœceſeos exhibitis et productis intelleximus manifeſte, quod providus Vir, Clawes Smedt, alias Schwertfeger, ejus uxor legitima, nec non certi alii opidi Novae Ruppin opidani, zelum hoſpitalitatis habentes, de conſenſu et voluntate proconſulum et conſulum praedictorum, quandam domum ſive hoſpitale in vico ſive platea communiter Lapſtraten nuncupata, in honorem omnipotentis Dei ejusque genitricis digniſſimae Virginis Mariae, nec non Sanctae Annae, Sanctorum Simonis et Judae Apoſtolorum, Alexii, Coſmae et Damiani et Eliſabeth Viduae ac quatuordecim fidelium auxiliatorum, erexerunt pro pauperibus, hoſpitio et domibus propriis carentibus, in remiſſionem peccatorum ſuorum, nec non in ſalutem animarum parentum ſuorum, pure propter Deum in perpetuum deputando, prout hec et alia in dictis literis plenius continentur. Quibus quidem literis, ut praemittitur, exhibitis et per nos diligenter inſpectis, fuit nobis humiliter pro parte eorundem proconſulum et conſulum ſupplicatum, quatenus *) fundationi hujusmodi hoſpitalis et omnibus aliis in hujusmodi literis enarratis aſſentiri nec non autoritate noſtra ordinaria omnia et ſingula in ipſis deſcripta et contenta approbare et confirmare, doniſ quoque ſpiritualibus de theſauro Eccleſiae, videlicet remiſſionibus et indulgentiis honorare

*) Dieterich: quibus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſiue dotare, auctoritate noſtra pontificali dignaremur. Nos igitur hujusmodi ſupplicationibus tanquam juſtis et piis annuentes, cupientes animarum ſaluti ſalubriter providere, nec non Chriſti fideles ad ſervitium Dei ferventius excitari, dictae domus ſive hoſpitalis fundationem, erectionem et conſtructionem hujusmodi gratas et ratas, ac Deo placitas habentes, auctoritate noſtra ordinaria et pontificali approbamus et confirmamus, in Dei nomine per praeſentes. Univerſitatem igitur veſtram monemus et in Domino exhortamur, quatenus *) de bonis, vobis a Deo comiſſis, praedicto hoſpitali et pauperibus in ipſo degentibus et in futuro congregandis ſubveniatis, aliosque ad ſubveniendum inducatis, ut per haec et alia bona opera, quae Domino inſpirante feceritis, gaudia conſequi poſſitis ſempiterna. Nos etiam vere poenitentibus contritis et confeſſis, qui ipſum hoſpitale in feſtivitatibus beatae Mariae Virginis, nec non ſanctae Annae genitricis ejus digniſſimae, beatorum Simonis et Judae Apoſtolorum, Alexii, Coſmae et Damiani, Eliſabeth Viduae et aliorum Patronorum devote viſitaverint, unum Pater noſter cum unico Ave Maria coram imagine ſua humiliter dixerint, nec non infirmis inibi degentibus opera miſericordiae exhibuerint, et ipſos verbis vel facto conſolati fuerint, quoties praemiſſa vel aliquid promiſſorum impleverint, toties quadraginta dies indulgentiarum auctoritate omnipotentis Dei et beatorum **) Petri et Pauli Apoſtolorum ejus meritis confiſi, de injunctis ſibi poenitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Datum in caſtro noſtro Wiſtok, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, feria ſexta poſt aſcenſionem Domini, curiae noſtrae ſigillo praeſenti ſubimpenſo.

Nach Dieterich a. a. O. S. 119. 120.

LXXIV. Biſchof Otto von Havelberg verſchreibt den Wohlthätern der St. Nicolai-Kapelle einen Bußerlaß, im Jahre 1496.

Otto, Dei et Apoſtolicae ſedis gratia Epiſcopus Eccleſiae Havelbergenſis etc. — Cupientes — ut Capella Sancti Nicolai, in opido Novae Ruppin noſtrae dieceſeos ſita, congruis frequentetur honoribus, et ut Chriſti †) fideles eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, cum ad hoc dono celeſtis gratiae uberius ſe noverint fore refectos, et a Chriſti fidelibus jugiter veneretur, de omnipotentis Dei miſericordia beatorumque Petri et Pauli Apoſtolorum ejus, nec non Laurentii et Conſtantii Martyrum, Eccleſiae noſtrae Patronorum, meritis et auctoritate confiſi, omnibus et ſingulis vere penitentibus, confeſſis et contritis, qui dictam Capellam in die Sancti Nicolai confeſſoris, inventionis et exaltationis ſanctae crucis et dedicationis capellae ejusdem feſtivitatibus et celebritatibus hujusmodi devote viſitaverint, ſeu qui veſperis, praedicationibus, proceſſionibus, miſſis et aliis divinis officiis interfuerint, et ad reparationem et conſervationem aedificii, calicum, librorum, aliorumque ornamentorum pro divino cultu inibi neceſſariorum, manus porrexerint adjutrices, pro qualibet die ipſarum feſtivitatum, quotiens hoc aut alterum praemiſſorum fecerint, totiens quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis penitentiis in Domino noſtro relaxamus. — — Wiſtok, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, Die vero Veneris viceſima ſeptima menſis Maji.

Nach Dieterich a. a. O. S. 120.

---

*) Dieterich: quibus. **) Dieterich: virorum. †) Dieterich: Chriſtiani.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN